

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---


**Observationum De Supernaturali Spiritus S. Virtute, An Et Qvatenus Illa Qvidem Ecclesiæ Christianæ Perpetuo Præsto Sit? Particula Tertia. Qua Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Civibus Memoriam Nati Servatoris Pie Meditandam Indicunt**

Buetzovii: Typis Ioann. Gotth. Fritzii, [1777]


<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1830829475>

Druck    Freier  Zugang





entsäuert



Abtl. b  
3490

OBSERVATIONUM DE SUPERNATURALI SPIRITUS S. VIRTUTE, AN ET QVATENUSILLA  
QVIDEM ECCLESIAE CHRISTIANÆ PERPETUO PRÆSTO SIT?

PARTICULA TERTIA.

QUA

RECTOR ET CONCILIJ  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
BUETZOVIENSIS  
CIVIBUS  
MEMORIAM NATI  
SERVATORIS  
PIE MEDITANDAM  
INDICUNT.




B U E T Z O V I I

TYPIS IOANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. DVC. AVL.  
ET ACADEM. TYFOGR.

1777.





## I. N. J.



Persequamur in præsentia, quod antehac jam  
binis Programmatibus \*) instituimus, de  
supernaturali Spiritus sancti virtute contra  
duos sibi invicem oppositos errores dispe-  
rare. Etenim nunc quidem, quod *undeci-  
mum* est, quemvis prudentem christianum  
facile intellecturum confido, quam sit falsum & iniquum, quod  
nonnulli nostræ de hac virtute supernaturali doctrinæ objiciunt,  
quasi per illam homines ignavi, segnes, inepti ad serium virtutis  
studium & ad vincendas cupiditates reddantur. Si enim, inqui-  
unt, homo ipse nihil potest efficere, si, quidquid boni gerere &  
peragere deberet, ab una supernaturali virtute pendet, ut per  
eam solam in ipso & inchoetur & perficiatur; utique homo de-  
terretur ab agendo & ab intendendo vires suas, quas nullas ha-  
bet: manus remittat, dormiat secure, expectet, dum afflatus &  
impetu nescio quo in ipso efficiatur & geratur, quod geren-  
dum

a 2

\*) vid. Progr. pentecost. & natalit. anni superioris.



dum est. Ego vero vix mihi persuadere possum, hos homines, qui ita disputant, etiamsi alias magni, perspicaces & eruditi viri sint, unquam satis attente considerasse, aut recte intellexisse, quid sit istud, quod supernaturalem hanc virtutem in homine efficere & quo eam tendere doceamus; alias enim fieri certe haud posset, ut tam aliena, tam repugnantia, tamque vehementer remota a vero sensu doctrinæ evangelicæ in medium afferrent. Etenim supernaturalis ista Spiritus s. virtus cum verbo divino conjuncta per superiora in eo versatur, ut sublimes istæ & gravissimæ res, quas Deus per Christum ad salutem nostram instituit, quibus summæ & celsissimæ efficacissimæque rationes & cause continentur ad deferendam peccati servitutem, ad confidendum Deo, ipsique obediendum, & ad ipsum supra omnia amandum ex toto animo, faciendumque alaci studio id quod ipsi placet, in mente hominis ad eam eleventur claritatem & lucem, qua ipsas hominem cogitare & meditari debet, si quidem animus per easdem efficaciter ad agendum excitari & impelli, ac sufficienti robore & viribus instructus esse debeat ad vincenda contraria prava studia, & ad obsequium his præclaris & sublimibns rebus re ipsa præstandum. Igitur, quod hominem efficacissime excitat & stimulat ad agendum, quod ipsi debitas vires addit, quo agere possit, id tu dices hominem segnem & ignavum & ineptum ad agendum facere? At vero, inquis, initium certe recte agendi secundum hanc doctrinam non in ipso homine positum est, nec ipse se excitare potest ad deferenda vitia & ad persequendam virtutem: ergo eo usque saltim homo ignavus jacebit, trunco similis erit, nihil vel cogitando vel agendo suscipiet, quod eo tendat, ut emendetur & melior fiat, & eo usque secure in utramque aurem dormiet, dum impulsus aliquis, nescio quis supernaturalis ipsum arripiat & impellat; quemadmodum aliquis celeberrimorum nostræ ætatis philosophorum, uti vocari amant, fertur dixisse, *se videre quidem & agnoscere præstantiam christiane religionis, sed deesse sibi gratiam,*

\* \* \*

tiam, ut amplecti eam & sequi possit. Hinc perspicuum esse  
putas, hanc nostram doctrinam in culpa esse, ut homines super-  
naturalem aliquem raptum secure expectantes, nihil gestiant,  
nihil affectent, quod ad virtutis studium pertinet, sed sine ullo  
retinaculo in vitiorum atque scelerum cursu pergent. Verum  
enim vero totum hoc, quod tu ita disputas, & que alienum, ina-  
ne & falsum est. Adeone his viris verus divinæ doctrinæ sen-  
sus ignotus est, ut plane nesciant aut obliti sint, quid disciplina  
ecclesiæ nostræ de *actibus pedagogicis* præcipiat, quomodo qui-  
vis homo ad istos suscipiendos non tantum per ipsam naturalem  
rationem ostiatus sit, sed eosdem etiam suis viribus præstare &  
exercere possit, & qua ratione inter hoc ipsum actuum paedago-  
gicorum exercitium supernaturalis Spiritus s. virtus cuivis ho-  
mini præsto sit, eumque excitet viresque præstet, ut has ipsas  
res, quas tractat, in efficacissima luce tanquam bonas & appre-  
tendas videat, atque eas serio amplecti iisque animum ad obse-  
quium præstandum submittere possit. Ipsa recta ratio homini  
necessitatem imponit, ut serio inquirat & circumspiciat, quid  
verum & bonum, quidve falsum & pravum sit? habetque qui-  
vis satis virium, ut ad id, cuius præstantiam atque dignitatem  
ipsa ratio ostendit, aliquo modo se convertere, illudque medi-  
tari & aliquatenus persequi possit. Atqui quid tandem homini  
gravius & prius esse debet, quodve negotium ipsa ratio nobis  
magis commendat, quam res ad religionem & ad æternam sa-  
lutem nostram pertinentes, ut easdem serio tractemus? Deinde,  
quam clara & vehementi luce summa præstantia religionis  
christianæ & verbi divini, rerumque in eo propositarum in ipsi-  
us rationis oculos incurrit? quot gravissima argumenta quisque  
per ipsam rationem detegere & animadvertere potest, esse in  
his rebus divini aliquid, summumque istas momentum ad no-  
stram salutem habere? Per ipsam igitur rectam rationem homo  
animum eo convertere debet & potest, dummodo velit, nec pra-  
vis cupiditatibus mentem distrahi & aliorum abripi patiatur, ut  
has



has res aliquo modo meditetur, & in iis meditationibus cum aliqua delectatione versetur, ut verbum divinum audiat, legat, & quæ ad istud declarandum pertinent vel auribus, vel oculis cum aliqua mentis intentione tractet. Ad hæc suscipienda & exequenda nulla opus est homini supernaturali virtute: hæc in hominis ratione & viribus posita sunt, & ratione duce geri possunt ac debent. Quare si homo ignavus & in vitiis secure domiens hos actus pædagogicos omittit & negligit, non accuset doctrinam nostram, quasi hujus culpa accidat, ut nihil agat, sed suam ipsius ignaviam & improbam securitatem. Nec enim doctrina nostra præcipit, ut ad hos actus exercendos expectes aliquem supernaturalem raptum aut vim, quæ te abripiat, sed ablegat te potius ad ipsam rectam rationem, ut ipsi obtemperes, quippe quæ gravissime docet & admonet, tui esse officii, ut in res ad religionem cultumque divinum pertinentis serio inquiras, eas tractes, & ad eas meditandas quantum fieri potest, animum convertas. Jam vero inter hæc ipsa naturalia rationis exercitia actusque pædagogicos exserit se supernaturalis ista Spiritus s. virtus, qua istæ res, quas tractat & meditatur homo, atque istud verbum divinum, quod legit aut audit, aut animo quodammodo volvit, plena & summa luce in animum illabatur, atque homo vim & veritatem earum sentire ita incipiat, ut ad amplectendas eas, obsequiumque præstandum efficacissime excitetur ac stimuletur. Incipit sentire, qualis ipsi sit, quam miser atque egens, quam destitutus omni vera iustitia, quam alienatus a Deo, & constrictus falsarum agendi rationum pravorumque consiliorum vinculis, in optimis suis, quibus adhuc sibi blanditus erat & placuerat virtutibus: pulsatur conscientia hominis & ad agnoscendam confitendamque hanc suam miseriam, qualem verbum divinum eam describit ac vividis coloribus pingit, gravissime excitatur: sentit homo, quam vehementer sibi sit opus ista gratia, quam evangelium per Christum homini peccatori offert, ista venia anteactæ vitæ, ista reconciliatione cum  
Deo,

Deo; ista pace fiduciaque mentis de placato Numine benevolo-  
que ejus favore, ista latissima beatæ immortalitatis spe, isto de-  
nique novo animi sensu novaque virtute, quam verbum divi-  
num iis pollicetur, qui ad Christum se convertunt, ipsumque  
mediatorem & propitiatorem fide recipiunt, ut plane novi ho-  
mines, abnegatis & abjectis impuris cupiditatibus victaque ea-  
rum vi & impetu, unice Deo servire veramque mentis & vitæ  
sanctitatem persequi possint. Per hos ipsos conscientiæ impul-  
sus vires homini Spiritus s. confert, ut his bonis motibus inhæ-  
rere eosque persequi, & sponte liberoque consilio mentem re-  
ipsa a falsis rebus, quibus adhuc servierat, avertere, easque  
odisse, seque ad Deum erigere posse, ut incipiat, promissis &  
pollicitationibus verbi divini nixus & suffultus, invocare Deum,  
gratiam ejus per Christum in verbo divino promissam, istamque  
conscientiæ consolationem confirmationemque de impetrata  
benevolentia Numinis serio optare & quærere, totumque se  
trudere Deo per Christum. Hos inter actus indefesso studio  
repetitos invocandi Deum, erigendi animi ad ipsum, tradendi  
se Deo, quærendi ejus gratiam & auxilium, quos theologi *actus*  
*fidei* constanter *repetitos* vocant, gignitur & confirmatur sen-  
sim novus iste sensus, quo christiana religio hominem imbuere  
studet, animusque repletur in dies magis majori virtute &  
vibrus, ut impetum atque vim pravarum cupiditatum subinde  
recurrentium, & vitiosorum habituum reprimere atque vin-  
cere, contra ea vero suavisimo dulcisimoque sensu amoris di-  
vini per Christum repletus alacri studio unice totam vitam ad  
serviendum Deo conferre possit. Hujus generis bonus motus  
& conscientiæ stimulos, ut homo se agnoscat, qualis sit, & ad  
Dei gratiam per Christum configiat, seque totum tradat huic  
dulcisimo mediatori, quo per ipsum ad beatam istam vitam  
mentisque novum statum perveniat, Spiritus s. virtus cum  
verbo divino intime conjuncta in cunctis gignit & excitat, qui  
per actus pædagogicos in audiendo, aut legendo, aut meditando  
divino



divino verbo versantur, atque magnus iste dies extremus declarabit, neminem hac in parte a Deo prætemissum aut negletum esse, ne eos quidem, qui vel curiositatis gratia, vel omnino maligno consilio, ut inveniant aliquid in scriptura, quod criminentur, ad eam legendam & tractandam se contulerunt. Quid jam præcipit doctrina evangelica ecclesiæ nostræ? cum per ipsos hos bonos motus & impulsus animi vires tibi a Dei spiritu offerantur & addantur; utere his motibus & conscientiæ stimulis, persequere eos & inhære iis ulteriori meditatione, erige animum ad Deum avertendo eundem a falsis bonis & cupiditatibus, incipe invocare Deum, contemplare dulcissimas promissiones in evangelio per Christum tibi propositas, his nixus accede toto animo omnibusque consiliis tuis ad Deum, mentemque in ejus gratia precando & invocando defige, repete hos mentis actus indefesso studio, dum animus his exercitiis sensim confirmatus, tum conscientiæ morsus, tum pravarum cupiditatum vim & illecebras vincere, atque in evangelii promissionibus acquiescere, & de imperata per Christum Numinis benevolentia certus & tranquillus esse poscit, denique ut per hanc ipsam fidem & fiduciam animus sincero Dei amore ob summa ejus beneficia, suavissimaque delectatione in cogitanda & meditanda divina maiestate, totus repleatur, atque his novis agendi rationibus ductus & agitatus per totam vitam dies noctesque in serium virtutis studium & ad exsequenda ea, quæ Deo placent, intentus possit esse, & re ipsa intentus sit. Jam cogita, quam oporteat iniquus sis, quam remotus a vera intelligentia doctrinæ nostræ, si eam accusare pergas, quasi hominem otiosum, ignavum, remissum in emendanda mente & vita, & incurium salutis suæ reddat. Videsne, totam hanc rationem eo pertinere, non modo ut homo gravissime moneatur & incitetur ad veram christianismi praxin, sed ut omnino ipsi expedita via monstretur, quomodo a vitorum vinculis re ipsa liberari, & ad Deum divinamque vitam elevari possit. Tu, qui hanc consolationis & virtutis plenam

nam ecclesiæ nostræ doctrinam contemnis ac criminaris, & nihil secius homini virtutis studium injungis, eumque ad ex plenda officia sua urges, æque prudenter facis, ac Medicus, qui ægrotæ & omnibus viribus destituto vehementer gravissimisque verbis inculcare velit, sui esse officii ut surgat & laboret, & sibi suisque vitæ alimenta comparet, neque tamen vel medicinam porrigat, nec rationem ostendat, qua ista uti debeat, ut ad sanitatem restitui, viresque amissæ reparari possint. Jam si quis homo istos bonos motus & impulsus a Spiritu s. per verbum divinum excitatos aliis cogitationibus opprimat, mentem distrahat, oblatis viribus ad invocandum Deum non utatur, sed falsis rebus & cupiditatibus deceptus animum alio avertat, sic que servus peccati, iners & ineptus ad virtutem homo maneat, quod omnino fieri potest, & proh dolor! a plerisque fit, cum ista Spiritus s. operatio non cogat violenter hominem, sed liberum mentis consilium ipsi relinquit, ut postea uberioris declarabitur; ne accuses, quæso! saluberrimam evangelii doctrinam, sed ipsius hominis malitiam, qui resistit Spiritui sancto, nec oblato auxilio divino vult uti. At, inquis, quid tandem refert, dummodo ista omnia in homine re ipsa accident, ut missis pravis studiis, agnitaque sua miseria & corruptione Christum mediatorrem fide recipiat, & per hanc fidem confirmatus Deo confidere ipsique servire incipiat, utrum jam sciat, quomodo & quibus viribus hæc in ipsius animo & vita efficiantur? an naturalibus mentis suæ conatibus, per istas vires, quas Deus jam per creationem naturæ humanæ contulit: an vero per supernaturalem quendam divini Spiritus concursum & influxum? Quid interest ad ipsum vitæ usum, utrum homo hæc sciat, an vero ignoret? Quasi vero ad usum vitæ christianæ nihil attineat, scire, qualis ipse sis, & quid ipse possis, postquam peccatum corruptaque animi indoles, sine Dei creatoris culpa, humanum genus invaserit? aut quid Deus deinceps, infinita bonitate & sapientia du-

b

Etus,



etus, ad reparandam salutem nostram paraverit & instituerit? Nihilne refert, utrum scias, quid Deo debeas, quibusque ex causis & rationibus ipsi ad humillimas gratias agendas promtumque obsequium præstandum obstrictus sis? Hoccine nihil attinet ad vitæ christianæ usum? Denique nihilne interest, ad consolandas confirmandasque pias mentes, utrum putas, in tantis vitæ humanæ imbecillitatibus & in tot casibus, quibus circumseptus est homo, tantaque vi falsorum impulsuum, quibus oppugnatur animus, te tibi soli sapientiæque tuæ propriæ viribusque tuis, quas jam antea habebas, relictum esse; an vero certus esse & confidere possis, supernaturalem Spiritus S. virtutem tibi semper præsto esse, ad gubernandum animi tui sensum, ad admonendum te in cunctis casibus, ad corroborandam confirmandamque imbecillitatem tuam, ad inspirandum tibi fortissimum animum in ipsa morte, ad conservandum denique te, dum ipse velis, in fide Dei & Christi usque ad plenam victoriam. I Petri, I, 5. Hæc qui contemnit ac vilipendit, nullumque eadem momentum ad vitam vere christianam habere, nec adeo vehemente sibi iisdem opus esse putat, nefcio, an unquam se ipse qualis sit, indigentiamque suam vere agnoverit, aut res divinas, quæ ad christianam vitam & ad suam ipsius salutem pertinent, recte aestimare, iisque serio animi studio incumbere didicerit? Veruntatem pro dignitate in præsentia ob limites hujus scriptioris hanc causam exsequi & absolvere haud possumus. Quare quæ dicenda restant, differimus, juvante Deo, ad proximam occasionem.

Agnoscite, CIVES, saluberrimam etiam hac in parte doctrinæ evangelicæ rationem, eamque his festis diebus, cum ex verbo Dei nobis proponitur, quot quantaque beneficia filius Dei, hominem induens, nobis attulerit, serio meditamini, nec levitate animi, aut aliis pravis studiis & affectibus abrepti  
&



11

& occæcati, ad contemtum hujus gravissimi disciplinæ christiani  
anæ capitis, aliarumque hujus generis saluberrimarum ecclesiæ  
nostræ doctrinarum adduci vos patiamini. LUC. VIII, 18.

P. P.

IN ACADEMIA FRIDERIC. BUETZOVIENSI  
SUB SIGILLO ACADEM.  
IN NATALIBUS SERVATORIS,  
MDCCLXXVII.



... goces, in ceteris, quae in diversis operibus  
eius operis, sicut in pueris, deinceps  
in hinc eorum omnibus operibus, TUG. A.M. 8.

L. R.

IN ACADEMIA TRIDERICI BRETOVENSIS


ANNO SILENTIO ACADEMI

IN NATALIS SECVNDI

MDCCLXXII







the scale towards document

laque mentis de placato Numine benevolo-  
lætissima beatæ immortalitatis spe, isto de-  
ensu novaque virtute, quam verbum divi-  
qui ad Christum se convertunt, ipsumque  
initiatorem fide recipiunt, ut plane novi ho-  
abjectis impuris cupiditatibus victaque ea-  
nunice Deo servire veramque mentis & vitæ  
possint. Per hos ipsos conscientiæ impul-  
situs s. confert, ut his bonis motibus inhæ-  
si, & sponte liberoque consilio mentem re-  
quibus adhuc servierat, avertere, easque  
um erigere posit, ut incipiat, promissis &  
bi divini nixus & suffultus, invocare Deum,  
ristum in verbo divino promissam, istamque  
ationem confirmationemque de impetrata  
nis serio optare & quærere, totumque se  
christum. Hos inter actus indefesso studio  
Deum, erigendi animi ad ipsum, tradendi  
eius gratiam & auxilium, quos theologi *actus*  
*etitos* vocant, gignitur & confirmatur sen-  
sis, quo christiana religio hominem imbuere  
repletur in dies magis majori virtute & vi-  
taque vim pravarum cupiditatum subinde  
vitiosorum habituum reprimere atque vin-  
to suavisimo dulcisimoque sensu amoris di-  
repletus alacri studio unice totam vitam ad  
conferre posit. Hujus generis bonus motus  
ulos, ut homo se agnoscat, qualis sit, & ad  
christum configiat, seque totum tradat huic  
ori, quo per ipsum ad beatam istam vitam  
statum perveniat, Spiritus s. virtus cum  
e conjuncta in cunctis gignit & excitat, qui  
icos in audiendo, aut legendo, aut meditando  
divino